

7+8/84

KALENDIS AVGVSTIS

MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



TOMUS 7

FASC. 48

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 18.--
In Austria	ÖS 130.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Udalricus Aeschlimann
Martinus Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 18.--
Oesterreich	ÖS 130.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier
Dr. W.F. Ebel (Amicus)
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Cari legentes


Fasciculus Rumoris Varii mensibus Iulio Septembrique desti-
natus omni anno sero tantum post ferias aestivas apparere
solet tempore, quo legentes itineribus suis in omnes partes
orbis terrarum factis domum reversi sunt.

Et ego e feriis aestivis, quas unā cum familiaribus denuo
in Italia dēgeram, corpore et animo reffectus domum reverti.
Velim liceret mihi iam in hoc fasciculo narrare, quae res
mirae nobis hoc itinere apud litus maris Adriatici facto
evēnerint! Sed - heus! - fieri nondum potest, quia spatium
in hoc libello non suppetit. Sunt enim multae aliae
symbolae prius publicandae quam narratio mea nova de
itinere in Italiam facto. Quae ut in paginis sequentibus
quam latissime publicentur, nunc quidem hanc praefationem
brevissimam concludam. Promissum autem meum servabo:
Proximo libello vobis de feriis meis hac aestate peractis
narrabo!

Interim gaudete ratis partibus huic fasciculo inclusis!
Valete!

U. Aeschlimann

Udalricus Aeschlimann



De migratione quadam per Terram

Vinicolam (1) suscepta

Inter Bernenses et Turicenses qui existimant nihil commune esse nisi lites et ludibria perpetua, nunc comperiant ex ore Bernensis cuiusdam laudem Turicensis regionis, quam inter pulcherrimas esse totius Helvetiae iudicare audeo.

Nuper tramine interurbano (2) usus Vitudurum (3) petivi, ubi amica mea, qua nulla carior lepidiorque est puella, e regione sinistrum ad Lacūs Turicensis litus sitā ingressa iam me exspectaverat. Unā tramen regionale conscendimus nos in vicum, qui Germanice Andelfingen nominatur, ducturum. Andelfingen ad Thuriam (4) flumen situm media ergo est in Terra Vinicola, quam Thuria dividit in partes duas, quamque Rhenus fluvius ad solis occasum séparat a Germanis, ad septentriones a Scaphusiensibus. Ad orientem solem spectat in Thurgovienses, ad meridiem denique in ceteras Turici regiones, quae pulchritudine atque amoenitate locorum Terram Vinicolam vincere nequaquam possunt!

Thuriam tandem ponte ligneo, testamento igitur aetatum longe remotarum, superatum paululum temporis sequentes, deinde autem viam ripariam relinquentes pervēnimus ad Lacūs Husianos (5), qui dicuntur, stagnis potius similes quam lacibus. O pulchriorem adspectum, quam ut describi possit!

Haud procul a cultu humano hic paradisis ortus est, naturae quasi refugium quoddam nimis saepe violatae et trucidatae. Sub aquis placidissimis vento paulatim tantum agitatatis pisces habitant, nutrimenta árdeae (6), huius mundi reginae, quae passibus nostris territa ex improvise alis plicatis altam petíit fugam.

"Pauca", tum gaudium meae vitae inquit, "maneamus, te amabo, temporis momenta et fruamur!" Rogationi basiis non mille, ut apud Catullum, sed innumerabilibus affirmatae resistendi neque potens neque cupidus sedem aptam quaesivi; qua inventa quid acciderit, sciuri ac anates narrare possunt!

Haud longe distat a Lacibus Husianis villa rustica sola neque vico incorporata. Ibi canis nos salutavit non latrando et ululando, ut mos est istis bestiis, quarum numerus in dies augeri videtur, sed caudam familiariter movendo, quam si ei amici antiquitus essemus. Primum gaudio affecti sumus magno, quod aliter saepe timendum est, ne canes nos fures putantes dentes exercitaturi carnem nostram gustent. Deinde autem, cum canis nos in aeternum comitaretur, metu capti sumus, ne non iam iter domum inveniret.

Per agros, vineta, prata florentia, silvas, super colles haud difficiles ascensu, trans vicos rusticos, quibus non(dum?) sunt aedificia atrocia illa urbana, sed domus partim ligno, partim saxo constructae, quae Germanice Riegelhäuser sive Fachwerkbauten vocantur, quaeque maximo sunt decori Terrae Vinicolae, ambulantes morati sumus in vicis Truttikon et Guntalingen et Waltalingen, prius quam assecuti sumus migrationis finem in valle Stammheimensi (7), quae est pars orientalissima Terrae Vinicolae neque non pulcherrima! Humus ibi tam fecunda est, ut agricolae semper novarum cupidi rerum non vinum tantum, sed etiam tabaccum (8) et humulum (9) colant, quae res est singularis intra fines Helvetiorum! Immo est, cuius in agris asparagus (10) crescat, deliciae hominum Lucullico more viventium!

In vico Oberstammheim, qui aedificiis maxime dignis, quae spectentur, abundat, prandium sumpsimus amico nostro "cynico" foris relicto. Lucullus, si qua forte adductus per aetatem nostram erraret, nobis haud contentior esset, non iucundior cenā et modo serviendi.

Prandio sumpto vino Stammheimensi autem neglecto, quamvis indígenae nihil suavius esse affiment vino suo, levi corde agnovimus canem abiisse. Ascendimus collem parvulum, sedem aediculae Sancti Antonii, de qua tota Stammheimensis vallis optime pécipi potest.

Si quando ibi sedebis, amice, certe in mentem revocabuntur tibi Vergilii poetae laureati éclogae: terra sub pedibus tuis patens autoraedis aliisque "beneficiis" aetatis nostrae fere vacat, silentium animam tuam replet interrump-tum tantum cicadarum cantu clamoribusque altivolantum, ut ait Ennius. Id fit, quod auri sacra fames adhuc rusticos

nondum compellit, ut solum vendant, et touristae, i.e. peregrini Helvetiam otii causa visitantes, Alpestres praeferant regiones, qualia omittant, ignari.

A Stammheim tramine Tasgaetium (11) profecti, inde secundum Lacum Inferiorem (12), partem Lacūs Brigantini (13), Romanicorum (14) vecti domum revertimus lacrimas separatorias fundentes nihiloque minus Deum ob diem tam pulchrum nobis praebitum laudantes.

- | | |
|---------------------------------------|----------------|
| 1. Terra Vinicola, -ae -ae, f. | Weinland |
| 2. tramen interurbanum, -minis -i, n. | Intercity-Zug |
| 3. Vitudurum, -i, n. | Winterthur |
| 4. Thuria, -ae, m. | Thur |
| 5. Lacus Husiani, -uum -orum, m. | Husemer Seen |
| 6. ardea, -ae, f. | Reiher |
| 7. vallis Stammheimensis, -is -is, f. | Stammheimertal |
| 8. tabaccum, -i, n. | Tabak |
| 9. humulus, -i, m. | Hopfen |
| 10. asparagus, -i, m. | Spargel |
| 11. Tasgaetium, -i, n. | Stein am Rhein |
| 12. Lacus Inferior, -us -oris, m. | Untersee |
| 13. Lacus Brigantinus, -us -i, m. | Bodensee |
| 14. Romanicorum, -i, n. | Romanshorn |

Martinus Meier

Felix Arocena, ubi habitas?

Nuper unus e magno numero amicorum Rumoris Varii, cui nomen Felix Arocena, nobis epistulam misit opus Latine ab auctore Andrea Fontaine Francogallico compositum continentem. Nescioqua calamitate - heus! - evenit, ut et epistula et opus Latine composita intacta ad nos allata sint, neque autem involucrum epistulare, quod sine dubio adressam remittentis demonstrabat. Itaque - ut quam celerrime tibi respondeam - rogo te, care Felix: Adressam tuam iterum mittas! Interim semper valeas! Cordaliter te saluto.

Udalricus Aeschlimann

DISCIPULI DE ITINERE ROMAM FACTO NARRANT

Praenuntius brevis editorum:

Fabulis vel narrationibus quattuor, quae nunc sequuntur, discipuli in vico nomine Düdingen Helvetiae sectionem magistri Magni Moser tertiam et quartam frequentantes secundum praemium meruerunt ex illo certamine, quod legentibus in Rumoris Varii fasciculo 11+12/83 ineundum proposueramus (cf. praefationem fasciculi 5+6/84, pag. 51).

Scripsit nobis autem magister Magnus Moser narrationes explicans fere haec: "Omni secundo anno una cum discipulis tertiae et quartae sectioni Latinae insidentibus iter Romam facere soleo. Quod iter discipulis quasi solacio sit pro opera, quam linguam Latinam discentes - discunt enim Latinum sua sponte, nequaquam legibus scholae coacti! - adhuc dederunt. Epistulae meae narrationes discipulorum de itinere novissimo facto addo. Quod omnibus participantibus maximo gaudio et dignum, ut memoriae tradatur, evenit. Ceterum nuntio nos peregrinatores fuisse VI discipulos e vico Düdingen, XVII discipulos e vico Wünnewil. Quibus VI adulti comites ibant.

Si inter legentes magistri sunt, qui ipsi tale iter facere velint: Libenter iis nuntios ampliores dabo."

De itineris die primo

Currum viae ferratae sole occidente diei Veneris, secundo die mensis Martii, intravimus et per omnem noctem in "catacumbis volventibus" (Couchettes) somnum paene capere potuimus. Tandem Romam advenimus. In domicilio nostro, prope templum Sanctae Andreae Vallis sito, ianitor senilis nos salutavit. Sarcinis nostris in conclavibus positis primam excursionem fecimus. Per magnificas scalas Capitolium ascendimus. Inde tures tectaque Romae aeternae, moenia diruta Fori Romani, Palatinum admirari potuimus.

Deinde ad Pantheonem descendimus. Magister nobis dixit tholum Pantheonis maximum orbis antiqui terrarum esse. Tum Plateam Navonam, locum mirificum tribus fontibus ornatum, vidimus.

Tum fame vexati tempore meridiano domum nostram cucurrimus cenamque delicatam (Spaghetti, Kartoffelstock, Braten) edimus.

Secundam partem diei in Vaticano peregrimus semper stupentes.

Bernhardus vir silvestris
tertio anno Latino convertit



De itineris die secundo

Post ientaculum ad praeclarum mercatum "pulicis", quem omni die solis secundum Tiberim celebrant, ambulavimus. Ex itinere puteum testudinum theatrumque Marcelli admirari potuimus. Dicitur potest mercatum immanem fuisse. Inde automobili grandi ad Vaticanum usi sumus.



Centuriam Helveticam salutavimus tumque Pontificem Maximum ad fenestram ergastuli ius vidimus. Post illam caerimoniam in domum nostram revertimus, ubi cenavimus. Bene nutriti automobili grandi ad Sanctum Paulum extra muros vecti sumus. Postquam illud templum magnificentum spectavimus, curru viae ferratae subterraneae usque ad Colosseum revertimus. Inde inter breve erat ad domum nostram.

Danielus Cuculus tertio
anno Latino convertit



De itineris die tertio

Triginta punctis post septiam! Brr, denuo necesse est mane ex lectis repere. Sed iam Romae vita in viis micat. Ientaculo suavi habito domum reliquimus. Automobili grandi ad Musea Vaticana quassati sumus. Obulo dato magna cum turba visitantium aedificia magnifica intravimus.

Primum destinatum nostrum erat statuae Laocoontis spectandae. Comparavimus exemplum imitationemque. Photographis factis passus nostros ad Stanzas Raphaeli vertimus, imprimis ad "Scholam Atheniensem". Quam tabulam mirificam in pariete pictam! Et Capellam Sixtinam, partim ab artifice ingenioso Michelangelo pictam! Verba ad describendum mihi desunt.

Nisi nos omnes tam defatigati fuisset, diutius his locis mansissemus. Certe pedes nostri moram quandam meruissent, sed magistri, longa spatia facillime currentes, nos ad automobile grande duxerunt. Aliquantum fessi-quale fatum-nobis stare necesse erat, compressis tamquam engraulis.

Post cenam quietemque diutius expectatam Palatinum ascendimus aspectus supra Romam cupidi. Reliquiae quoque miserabiles Domus Aureae admirabiles fuissent, nisi adulescens Romanus importunior nos innumerabilibus "Hello's" fugavisset.

Ambulatione ad emptiones facta optimoque cibo vespertino diem finivimus.

Iris Wohlhauser tertio
anno Latino convertit




De itineris die quarto vel ultimo

Post ientaculum celeriter domum reliquimus. Non solum parietinas antiquas Romae adiimus, sed etiam aedem "Mariae Maioris", statuam Moisis a Michelangelo fictam, Amphitheatrum Flavium sub nomine Colosseum notum, ruinas tristes Fori Romani Fororumque Caesarum. Quibus monumentis satis spectatis domum praecipitavimus "spaghetibus carbonaribus"

allecti. Certe "siestam" sanctissimam non obliti sumus. Optima quiete refecti post meridiem duce viro, ventre globoso ornato, in viscera terrae descendimus.

In catacumba aerem male olentem spirare debuimus. Imprimis quod nonnulli peregrinatores Franco-gallici ante nos ambulabant, quorum



dux anitra clauda erat. Quo facto vir noster excitabatur. Paene nihil audiebamus verborum, quae fecit, sed post quamque sententiam risit velut caper. Sepulcra minima nobis, hominibus vicesimi saeculi, videbantur. Praeterea statuas et

multos parietes pulcherrime pictos admirari potuimus.

Emersos e tenebris nos sol veris radiis calidis salutavit!

Tania Bevilaqua tertio anno Latino convertit



His autem nostris diebus.....


De ursis bambusis seu Pandis maioribus Berolinensibus

Ursus bambus seu Panda maior (Bambusbär oder Grosser Panda) in Horto Zoologico seu Therotrophio Berolinensi photographum quendam Monacensem adgressus seu adortus est.

Ursus bambus seu Panda maior (zoologicae: Ailuropoda melanoleuca) die Lunae (secunda feria) VIII^o mensis Martii anno MCMLXXXIII^o post meridiem photographum quendam Monacensem XLVI annos natum in saepto libero (Freigehege) photographemata facientem adgressus seu adortus est atque graviter eum sauciavit. Aediles seu custodes publici Berolinenses in medium protulerunt photographum eum capitaliter fere esse vulneratum. Photographus vulnera carnaria graviora crurum, femoris dextri humerique dextri accepit, insuper digitus index dexter dentibus acutissimis ursi praemorsus est. Digitus autem ille dexter ab urso rabido mordicus ablatum a siphonariis seu vigilibus (adversus incendia) Berolinensibus transplantationis faciundae causa in valetudinarium seu nosocomium universitatis Berolinensis est asportatus.


Duo autem ursi bambusi qui dicuntur quibusque nomina "Snurtius" (Schnurz) atque "Pipio" (Piepe), donum sunt a praeside magno ministrorum Reipublicae Popularis Sinensis, olim cancellario pristino Reipublicae Germaniae Foederatae Helmodio Fabro (Helmut Schmidt) datum. Cancellarius autem pristinus Helmodius Faber condonaverat ursos illos bambusos, qui rarissime in hortis zoologicis seu therotrophis inveniuntur, Horto Zoologico Berolinensi. Cives autem Berolinenses ursos bambusos scurriles iocularesque illos nominibus iocosis "Snurtius" atque "Pipio" baptizaverant. Usque adhuc ursi illi bambusi, par nobile fratrum, semper placabiles concordisque erant. Res si ita se habet, dubium ad hunc diem est, utrum "Snurtius" an "Pipio" maleficus fuerit.

AMICUS



Aenigma

1. prima femina mundi (Acc.)
2. in fine epistularum dicitur
3. "...iacta est" Caesar dixisse fertur
4. pronomen possessivum (Acc.sg.)




Hoc aenigma composuit
Daniel Weissmann




SOLUTIONES

autem ex aenigmate
in Rumore Vario
3+4/84 divulgato
sunt haec:



Solutiones ex aenigmate, quod vobis certamen ineundum in
Rumore Vario 5+6/84 proposueramus, hoc loco publicantur:



Ii, qui certamen solutionibus nobis missis inierunt, sine dubio intellexerunt illud aenigma aliqua menda continuisse! Quo facto maxime dolentes vos rogamus, ne nobis irascamini! Ecce ii, qui menda - ab Rumoris Varii editoribus (non ab aenigmatis auctore! Is enim omni culpa vacat!) commissa neglegentes solutionibus inventis missisque primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium	secundum praemium	tertium praemium
Ursula Schwenk	Christine Stuber	Bernhard Christen
Aehrenweg 13	Mühledorfstr. 28	Solothurnstr. 21
5430 Wettingen	3018 Bern	3322 Schönbühl

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium) eis mox mittentur.

Facete lepideque dicta

Novisti iam illud (facete dictum)?

Alter: "Habemus nunc etiam conexionem telephonicam seu colligamentum telephonicum (Fernsprechanschluss) et possumus telephonicè loqui (seu telephonerè) tecum!"

Alter: "Id sane quidem, mehercules, non novi!"

Alter: "Quid ita? Legisne ecquid omnino non indices telephonicos?"

* * * * *

Ob eam reapse rem

Alter: "Quapropter sororem uxoris tuae defunctae in matrimonium clam et tecte duxisti?"

Alter: "Nolui consuescere (adsuescere) nova socru!"

* * * * *

Nuntii radiophonici incredibiles

Nuntiator stationis radiophonicae senem iam centum annorum interrogans: "Ex quam re, inquit, ducis aetatem tuam revera tam grandem seu exactam seu provectam?" Tum senex ille vafre astuteque: "Praecipue seu potissimum, inquit, ex re factoque, quoniam quidem anno MDCCCLXXXIV^o sum natus!"

* * * * *

In aeternum Tuus

Iudex: "Quid est causae, cur anulum aureum ad officium Quaesitor) seu depositorium rerum inventarum (Fundbüro) non (per)tulisti (officio depositorio non tradidisti)?"

Reus: "Id sane quidem, iudex spectatissime, re et veritate facere non potui, nam in anulo eo aureo incisa sunt verba haec: In aeternum Tuus."

* * * * *

Super, superior, supremus

Tres pupuli Berolinenses magniloque verba faciunt et gloriose loquuntur inter se. Pupulus primus "Patruus," inquit, "meus est sacerdos et omnes homines eum reverentiae observantiaeque pleni - 'Amplissime!' alloquuntur!" Tum pupulus secundus "Id revera" inquit "nihili sane duco, nam patruus meus est cardinalis et omnes homines eum reverenter 'Eminentia!' alloquuntur!" His verbis dictis pupulus tertius "Id re et veritate" inquit "nihilum omnino esse existimo, nam patruus meus est exsecutor, et si ubicumque terrarum homines inquirat, omnes extemp(u)lo ei succlamant: "Pro Deus optume!"

* * * * *

Responsum apte redditum

Vir autem doctissimus, satirarum scriptor, autor et physicus ille Germanus Georgius Christophorus Lichtenberg (Tiliomontanus), 1742 - 1799, corpore deformis sed summis ingenii facultatibus praeditus ornatusque, etiam ingentes habuit aures. Occasione sessiunculae vespertinae Societatis Scientiarum Gottingae in oppido data et oblata studiosus vere agrestis et male moratus Georgio Christophoro verba dixit procacia haec: "Sane quidem, professor, habes aures foede ingentes!" - Tum iracundus Georgius Christophorus Lichtenberg "Recte vereque" inquit "dixisti, res ita re et veritate se habet. Et quae cum ita nunc sient res, ex

cerebro tuo et cum auribus meis reapse asinus mirificus
splendidusque creari potest!"

* * * * *

Et fuit etiamnum.....

..... lumbricus terrestris, qui aeger amore rostro gallinae
praecipitem se obiecit....

..... erinaceus autem desperatus, qui ictus aculeosque
(Sticheleien) uxoris non diutius potuit perpeti.....

..... vir autem vecors delirusque, qui ob eam solam causam
desperatione commotus alcoholem effrenate potavit, quoniam
quidem alcohol nunc magno pretio constat.....

..... Scotus autem avaritiā ardens, qui invenerat methodum
miram, quomodo fieri potest, ut calceamentis parceatur
optume: extendit simpliciter passūs sedato gradu ince-
dens.....

* * * * *

Consilia diversa

Alter: "Quare baculis levare membra tibi necesse est?"

Alter: "Incommodum seu indemnitate[m] seu accidentiam in
tramine ferriviario accepi!"

Alter: "Nonne denuo sine baculis iam ire potes?"

Alter: "Medicus autem meus 'Sic!', sed iuris consultus meus
'Non!' dixerunt."

* * * * *

Causa effectusque

Alter: "Potesne mihi dicere casum, ubi causa venit post
effectum?"

Alter: "Neutiquam!"

Alter: "Si medicus post arcam aegroti (patientis) ambula-
ret!"

* * * * *

Dei in manu

Sacerdos quidam abnuat semper iter maritimum (ad) Americam
facere navigationem vehementer pavens. Tum vir pius
sacerdoti: "Sacerdos mi spectatissime, inquit, ubique
gentium in Dei manu stabis!" Tum sacerdos: "Certo sine ulla
dubitatione, sed in mari nimiopere!"

* * * * *

Nomen falsum

Custos publicus malefico legem violanti: "Quare nomen
falsum mihi dixisti?" Tum autem reus: "Tantopere commotus
perturbatusque fui atque etiam memetipsum ignoravi!"

* * * * *

Morositas

Iuris consultus: "Filia cauponis partum edidit!"

Tum reus: "Quid ad me? Quid mihi cum illa re? Quid
ad me refert?"

Iuris consultor: "Infantem filiae cauponis a tete esse
dicunt!"

Tum reus: "Quid ad te?"

* * * * *

Nemo umquam magnus

Alter: "Numquamne in loco, in quo habitas, vir vere magnus
in vitam est editus seu natus?"

Alter: "Nemo umquam antea magnus, semper solum parvuli
infantes hoc loco nati sunt!"

* * * * *

AMICUS

Domestica tellus

Sodalitium Autumnale

Hortulo in nostro, crocea sub herba,
Ultimum Autumni spoliū videtur,
Traditum terrae redeunte vento
Imperioso.

O pyrum extremum teres et tenellum,
Arborem celsam tribuisse totos
Credidi fructus: tua quid docet me
Tarda venustas?

Prandium nostrum ambrosio sapore
Dulcius reddes memoremque habebis
Me bonae aestatis, pretiosa mensae
Roscida finis.

Non potest simplex fieri voluntas....
Aspice! Inquirens vigilat sciurus
Iam cibum gustu cupiens voraci
Quem sibi clamat.

Pauperi cedens epulas amico,
Ultimum lautumque pyrum relinquo.
Gratias densas mihi agit sciurus
Dente beato

Iosephus Tusiani

Trilogia (pars tertia)

Breve praemonitum ad tertiam partem Trilogiae "Domestica Tellus" inscriptae conficiendam:

Syracusis

Syracusis versor, quo pater meus me adduxit et diligenter commodeque ordinavit in deversoriolo nobiliore quam Catinense.

Hoc meum Syracusanum cubiculum amplius est quam Catinense, elegantibus suppellectilibus ornatum. Duae amplae portae-fenestrae in ambulacrum panduntur externum in pleno duorum marium portuumque prospectu, prope pontem qui sicut artificiosus isthmus coniungit insulillam Ortigiam, ubi sumus, cum magna Siciliae insula.

Ex ambulacro externo vil e vetreis fenestris ad laevam inspicio longe portum-mare magnum variis refertum navibus et ad dextram portum-mare parvum sive marmoreum sub oculis habeo, ubi frequentes cymbae viatores, pro minimo obolo, ad novam Syracusanam regionem transvehunt, quae Neapolis semper nuncupatur sicut olim et hodie quoque. Hodie vero nuncupatur suburbium Sanctae Luciae quod in maiore suburbii platea basilica est Sanctae Luciae virgini et martyri, Syracusanorum patronae protectrici et custodi, dicata, quae exstructa est supra catacumbis huius sanctae frequentia orationibus honoratae.

Cymbae remis pelluntur, humana videlicet vi qui a prima luce matutina usque ad dimidiam fere noctem hoc munus assidue agunt pro minimo stipendio. Hic portus minor, marmoreus quoque vocatur quia priscis temporibus haec nostra urbs dilucide splendebat, tempore videlicet Ciceronis et Verris, quo vocabatur "horreum totius Italiae" et

tabulatum eius marmoreis ornaverunt tabulis signisque, quae omnia postea ablata sunt sicut pretiosa vestigia prisca splendoris.

Inest optimum cubile culcitis lanosis, ampla mensa scriptoria, armarium ligneum vestibus, vitreum libris custodiendis, lychnus centralis, lampadae sellae archiselliaeque circum sparsa.

Esculenta ubique in cauponis sumebam.

Pater locationis quadrimestre solvit ex Syracusano more. Syracusas adductus sum ut munus docentiae meum curare et persequi possem.

Hic, dum in hoc cubiculo scribo, de patris mei summa benevolentia recogito et meditor: Quis erat pater meus in pueritia mea, nisi protector et recultor, solamen et praesidium meum? In adolescentia mea, ubi Catinae versabar, ubera fecunda prodigiosa mamma erat e qua mulgere semper potui quae mihi necessaria erant et superflua quoque. Nunc SALUS est mea et COR meum et MENS mea, palpitans recogitans meditans assidue de me.

Primus Syracusas adventus

Ubi primum Syracusis fuimus, pater meus adducere me voluit circum urbem ad praecipua loca inspicienda. Quibus visis - de quibus amplius in narratione dicam - ubi hora prandii fuit, vidi patrem meum commeari panem, spaghettos, pisces et poma. His rebus praeditus in deverticulo quodam, quod ex urbe alta ad mare descendebat, quamdam portam quaerit, quam ubi invenit haec verba in ea legere potui: VENDITUR VINUM, CONQUUNTUR CIBARIA. Erat vero spatiunculum incultum, mensulis inapparatis passim sparsis, et in quodam antro erat culina. Pater meus clamitavit: "Don Gesualde!"

Ex antro quidam senex claudicans, foedus visu, sordidis vestibus, apparuit, clamitans ubi vocatorem recognovit:

"Oh! Don Nicola! Qui ventus te portat huc?
Care Don Gesualde, potes coquere haec misella?
Quantum vini?
Dimidium litrum!
Date coquenda, consedite, vinum aderit subito!"

In foetida lagoena attulit vinum et duo foetidissima pocula, quae nunquam credo vidisse lavatoriam aquam, arripuit esculenta, et in antrum penetravit.

Dixit pater: "Hoc spatiunculum et hoc antrum erat olim Araborum latronum piratarum eorumque qui commeatus furtive introducunt refugium, quo refugio Don Gesualdus utitur gratuito, ad vivendum a vigilibus ignoratum quia fama est hic alta nocte audiri lamentationes terrificas e gentibus suis bonis exspoliatis. Nobis tamen convenit nummis parcendis. Ubi profectus ero, ubique in cauponis edere potes, nummos ad te sustinendum plures linquam."

De tristibus difficultatibus et de inquis obstaculis ad munus meum consequendum

Ut ex ratione logica, primum Secretarium Gymnasii adire volui ad res explorandas, inveni verum somnolentum virum otiosis suis ipsis defatigatum et copioso cibo onustum, qui nihil aliud appetebat nisi placide dormire et cuius palpebrae nolebant aperiri.

Cum ianua aperta esset timidus ingressus sum et tussitare incepti ad revocandam somnolentis mentem, qui prigre ita fatus est: "Camille, quid est?"

Et ego: "Non sum Camillus; sum professor Immè, qui petit doctrinae munus novo anno."

Ille, hac mea audacia expergefactus, ita locutus est: "Omnia doctrinae munera concessa sunt; at ubi est Camillus apparitor meus?" Et ego: "Camillum non novi; at vota meae laureae sunt quam maxime alta et cum laude quoque." - "Vanum est persistere, abi et noli etiam me disturbare", et clausis oculis dormire inceptit.

His malis non obstantibus rebus, munus meum obtinui iustae perseverantiae meae causa, quam audacter et perseveranter gessi apud Proveditoris officium. Ubi novo anno Secretarius ille me vidit inter professores, mihi gratulatus est et declaravit se esse amicum meum et protectorem.

Arrepto munere Latini sermonis flagrantia auxit et Latine loquens docere incepti discipulos meos, qui novitatis causa me diligenter sequebantur et etiam cum praesidis admiratione et fervida approbatione.

Nonnullos collegas habui sodales et nonnullos contrarios propter ignaviam et incapacitatem et ignorantiam quoque. Erat enim tempus quo nostra res publica regebatur a Fascistarum Duce Benito Mussolini, qui summopere favebat nostrae Romanorum hereditati, ideoque collegas fautores congregavi ut imprimeretur commentariolum Latine omnino scriptum. Ita ortus est commentarius Arethúseus, qui brevi tempore magnum favorem obtinuit, quod nihil politicae factioni concedebat, sed erat instrumentum reviviscentiae Romanorum gloriae et documentum quo Latinus sermo hodie quoque adhiberi posset ut de hodiernis et quotidianis rebus perquam humilibus dissereretur.

Latinus commentarius Arethúseus magnae mihi fuit laudi et praesertim gaudio et felici memoriae. Arethúseus pervulgabat variarum urbium Siciliae historias, indixit certamina Latini sermonis, revocabat praeclaros homines, qui propter doctrinam et humanitatem fuerunt honori patriae; ideoque Arethúseus multos collegit lectores et subscriptores.

Laetabar verum quod Arethúseus cum variis commentariis Latine scriptis fere certabat et summopere simul gaudebam in iisdem petitionibus ut sermo Latinus communis esset loquela inter omnes populos et praesertim inter Europaeos.

Postea oriri inceperunt mala et morbi variorum generum; at morbus gravissimus mihi fuit oculorum aegrotatio, propter quam privatus sum septima vi e decem visus partibus.

"Desine fata Deum flecti sperare precando": hoc Vergilii monitum magna cum patientia suscepi.

Nolo tristes facere lectores meos, volo equidem ut haec mea de domestica tellure narratio semper laeta sit, ut est animus meus.

Proficiscere dulcis narratio e manibus meis.

Antoninus Immè

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

AZ

8050 Zürich

7+8/84

KALENDIS AVGVSTIS
MCMLXXXIV



RVMOR VARIVS



TOMUS 7

FASC. 48